...mirus

Sastorius Joach., Jo. Casimiri in Prussiam venienti gratulatur.
Elbingae, s. l.

# SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO DOMINO

# JOANNI CASIMIRO

DEI GRATIA REGI POLONIÆ, MAGNO DUCI LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, CZERNICHOVIÆ, &c.

*NEC NON*

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM HÆREDITARIO REGI:

*Iunctæ Conjuratæq;*

Scytharum & Rebellium Russorum Potentiæ

*FORTISSIMO FELICISSIMO DOMITORI:*

NUNC TRIUMPHALES LAUREAS FASCESQ. IN PRUSSIAM SUAM INFERENTI

*Felicem ingressum*

Inter publica Gaudia & Plausus, quod de suo posuit offerens, animo devotiss.

*Gratulatur*

JOACHIMUS PASTORIUS.

*ELBINGÆ,*

Typis ACHATII CORELLII.

INter omnia, Rex Serenissime & Potentissime, quibus Imperium quodq;, & Romana inprimis magnitudo supra cætera sese extulit, duas præcipuè res reperio, prudentiam Consiliorum & in bello fortitudinem. Illi sanctiones legum utilissimarum, illi custodia earundem, illi populi ferocientis, & temperatum clementiâ ac severitate tot subjectarum gentium regimen debebatur. Alterâ fines imperii defensi ac prolatati, gentibus propè omnibus eò compulsis, ut aut victæ Vrbem Dominam adorarent, aut territæ amicitiam quærerent, nocendi utiq; licentiâ viribusq; carerent. Et mutuo equidem

consensu auxilioq; duo hæc sese invicem sustentabant: divortium inter se adeò semper noxium experta, ut nec consilio sine armis robur, nec armis sine consilio successus adesset. Verùm enimverò cum utriq; potentiæ ac decoris sui Majestatem deberet Roma, nescio quo modo tamen bellica semper virtus splendidioribus illic honoribus effulsit. Venerationem habuêre, qui bonas condidissent leges, qui Reipubl., necessario ejus tempore, consilio adfuisent; qui æstus comitiorũ, vel plebis effrenatæ spiritus sedassent. At nunquam, quod sciam, decretus iis triumphus est. Augusto Cæsari legum latarum titulos, sed in funere demum legimus antelatos. At idem vivens ob domitos hostes splendidissime, & post Actiacam victoriã, ter, uno mense triumphaverat: inde adeò ipsi etiam mensi

nomen

nomẽ de ſuo impertitus. Iam Scipiones, Pauli, Marcelli, Marii, Pompeii quâ gloriâ enituêre, cum præcedentibus diverſæ & peregrinæ formę tam hominum quàm beſtiarũ gregibus, ipſi ſublimes, & victarum gentium, nonnunquam & Regum tergo, curru inſtantes, inter circumfuſam undiq; ad ſpectaculum turbam inveherentur? Nempè iſtis quaſi ſtimulis Orbis Regina acuere atq; excitare cives ſuos ad eam virtutem conata eſt, quę vitę contemptu vitam cęterorum tueretur, & gloriam fineſq; imperii, impenſo feliciter ſangvine amplificaret. Atq; in eâ ſimul quoq; prudentiam ipſam honorari exiſtimabat, quòd ſine hâc bella tantę molis confici, gentes perdomari, & Reges in ſervitutis inſtrumenta redigi haud potuiſſe viderentur. Exolevit poſtea hæc triumphorum majeſtas, & ſeneſcente,

aut

aut alia jam decora quęrente Româ, antiquata ſunt iſta bellicę fortitudinis brabéa. Sed & alibi terrarum pompę tales ac velut oſtentamenta pro inanibus deſpiciuntur; nec tanti habetur, poſt exantlatas belli moleſtias, alium & tam operoſum triumphandi laborem, ſumptumq́; ſuſcipere. At nihilominus in animis hominum triumphant Victores. Templa pręclaris eorum facinoribus circumſonant; & conſenſu juſſuq́; ipſorum honor victoriarum ab ipſis ad Deum transfertur. Is hodie in Regibus, imò pro Regibus triumphat. Illius ante aras procumbunt, quibus ſuperatę gentes ſuccubuerunt. Ipſos verò celebrant publicę, loqvuntur privatę voces, ſed ut Dei manus & inſtrumenta cœli. Et ſatis habent illi, cum ſuis lętantem victoriis populum, cum publicâ ubiq́; exultatione omnia vident circum-

cum-

cumſtrepere. Cum in occurſum ſibi ruere vident Vrbium capita, cum fauſta ſucceſſuum gratulantes, cum omnia optima ominantes ſpectant Civitates. Ad eum modum Tu nunc triumphas Sereniſsime IOANNES CASIMIRE. Vbiq; Tibi obviam ſervata â Te Polonia effunditur. Paſsim in conſpectum ſe offert Tibi, quicquid tot beneficiis ornaſti. Vndiq; pro te manus ad cœlum attolli vides, undiq; voces prolixam vitam tali Triumphatori precantium audis clangere. Alicubi & exquiſitis panegyricis exciperis, & ſubinde reperiuntur, qui Tuas laudes qualicunq; induſtriâ ſuâ aggreſsi, Teipſum Tibi cum curâ oſtendere ſatagunt. Ac habent equidem bonę mentes, ubi facundiam experiri, ubi ingenii explicare vires poſsint. Sufficis Tu omnibus in dicendi ſcribendiq; argumentum. Primum

ipſa

ipſa Tua per tot laborum aſpera transacta, & cum fortuna ipſâ ſępiùs commiſſa juventus largam dat enarrare volentibus verborum materiam. Benè profectò Te Herculea exercuit clava, antequam ab illâ ad ſummum Regni clavum manum transferres. Nec aliâ ſcilicet palæſtrâ aptandus fuiſti ad hoc regimen, in quo tot cum monſtris confli-ctandum Tibi fore cœlum prævidit. Certè enim turbatisſimam accepiſti Rempublicam: & ut hęc ſervanda Tibi offerretur, in ſummum diſcrimen irâ fatorum adducta erat. Ac ſervaſti eam ſane, etiam antequam Tua eſſet, & tum, cum ſe jam Tuam eſſe vellet, Tu ſervando magis feciſti Tuam. In gremium illa Tuum propè ruens venit, & gubernatorem navis iſtius eſſe voluit, cùm ea jam inter brevia tantùm non mergeretur. Et agnovêre illico Jovem

Titanes;

Titanes; vix vultum, nondum fulmen exſeruerat, cum criſtas illi mox poſuêre. Fugerunt monſtra Herculem, & ad Tuæ autoritatis quaſi gorgona exhorruerunt; antequam manum ſentirent. Sed poſtea tamen â cubili ſuo recaluêre iſtæ aſpides: revixêre, ubi terram ſuam contigerant, Antęi; iisdemq́; capitibus pullulans lerna in Te Herculem reſurrexit. Nempe non uno ictu conſici mala iſta fatum permiſit, ne minora, quàm eſſent, viderentur. Et virtuti Tuæ Carthaginem dare voluit, ne otio elangveſceret. Deniq́; gloriæ Tuę conſuluit, quæ ſplendidior ex ejusmodi hoſtibus domitis exſurgit, qui diu Victorem fatigant. Parùm decorè vincitur, qui manui vix ſemel exſertæ cervicem ſubmiſit. Rediit itaq́; ille, quem Tu ante ſolo autoritatis Tuæ telo abegeras, & major, quàm antea unquam venerat,

rediit. Quippe universâ Tauricâ potentiâ & ipſo ejus Principe comitatus rediit. Hujus pernices alas robori ſuo adjunxerat: neminem ſic robori reſtiturum, neminem celeritatem evaſurum ratus. Et illâ conjunctione is coaluerat exercitus, cui poſt Tamerlanis vel Hunnorum tempora haud ſcio an ullus numero par unquam fuerit. Nam vi quidem nec illa mundi flagella hunc æquarunt: cum pedeſtribus his armis caruerint, quibus rebelles iſti peritiùs propè, quàm ulla alia natio, fulminat. Et illi Turbines peregrinis in terris omnia ſibi infeſta nacti, viam ſolis armis & terrore ſibi aperuêre. Hi amicos ubiq; reperiebãt, & quò longiùs progrederẽtur, eò plus militũ illis viriumq; accreſcebat. Oppoſuerat ſe iis, qui in præſidio Reipublicę ſtabat exercitus, animoſus equidem & ê plurimis pręluſtribus eximiisq;

Ca-

Capitibus, ipſoq; flore bellatorum compoſitus. Sed hic numero tam exiguus, alter contra tam vaſtus erat, ut uni Polono militi plusquam triginta poſſet hoſtis objicere. Atq; hinc facilem ſibi expugnatu illum credidit: poſteaquam diverſum non uno periculo agnoviſſet, circumſedit. Et ita duobus penè menſibus circumcluſum tenuit, nihil ut ire illuc niſi plumbum & inimicam flammam permitteret. Ipſe ſubinde àſſultibus, cuniculis & omni machinamentorum genere ad eos pervadere moliens. Etiam blanditiis & paciſcendo irrepere laborans. Sed omnem & vim & fallaciam generoſus ille obſeſſorum animus repulit. In aſsiduo conflictu verſari, crebris eruptionibus fatigare obſeſſorem, grandines pilarum dare & excipere, fętorem & omnis cœli injurias ferre, canibus & cadaveribus

 equo-

equorū ſedare famem, extrema omnia pati, aut expectare non grave Hectoribus iſtis fuit, dum Te liberatorem ſuum certiſsimâ fiduciâ præſtolarentur. Accurriſti Tu, voto Tuo tardius: ita tamen opportunè, ut & illis materiam Virtutis nimiùm feſtinando non eriperes, & immodicè cunctando non patereris ſalutem eripi. Veniſti, ſed per viam ab eodem illo hoſte intercluſam. Iverat enim ille adverſum Te; ita venientem excipere ſperans, ut nec obſeſſos liberare poſſes, nec haberes, per quem liberareris. Et ea erat hoſtilium copiarum moles, ut circumſepiendis duobus etiam non modicis exercitibus abundè ſufficeret. Cęterum malè tamen inierat rationem, cum ſuos Tuosq; numerans, Tuę & Virtutis & felicitatis pondus non æſtimârat. Et ſenſit ſanè paulò poſt, magnis ſuſtinendis ſuperandisq; etiam

ea

ea exercituum corpora paria esse, quę quantumvis mole exigua, grandi tamen animâ vegetantur. Sensit idem languentia quoq; corporis ejusmodi membra recalescere, ubi â Capite egregio excitantur erigunturq;. Vti sanè Tu militem Tuum laborantem fessumve nobili vocis Regiæ incentivo, tum non minus agili Virtutis exemplo ad bonas edendas operas imperterritus ipse exstimulasti. Atq; ita cum aliquot diebus omnes nervos adversum Te intendisset, intellexit ille tandem, effundere se vires suas, parùm tamen Tuas minuere. Et mox magno conatu nihil agentem, jamq; calonum lixarumq; ferro expositum, vani laboris tædium & frustra impensi tanti sangvinis pudor invasit: Barbarum imprimis; cujus vis omnis impetu valet, morâ elangvescit. Qui porrò majore acceptâ, quàm datâ clade

 cruen-

cruentus, beneficiorum quoq; tandem, quę in Poloniâ olim captivus & gratis dimissus accepisset, admonitus erubuit; atq;, arma infelicia excutiente conscientiâ, ad pacem flexit. Quam respuere Tu noluisti, ne ex tot malis lassę Reip. necessarium, & jam non sine numine oblatum munus non intelligere, aut invidere Tuis viderêre. Et ejusmodi equidem, favente DEO, pacem iniisti, qualem Respublica tali suo tempore vix ausa unquam fuerat sperare. Nihil retulit Scytha, quàm stipendium, quod ei jam olim ex pacto debebat Polonia. Nihil obtinuit rebellis, quàm veniam patratorum, nec ante tamen, quàm & Principis Scytharum preces intercederent, & ipse ad pedes Tuos scelera sua detestatus, majore ea inposterùm obsequio eluere sacro sanctè & jure-jurando interposito promisisset. Haud indeco-

ra ſanè conventio fuit, quâ qui contra Te tam immenſo exercitu pugnaverant, pro Te deinceps Tuo arbitratu pugnare obligati fuêre. Ex hoſtibus clientes, ex ſervitiis rebellibus milites, Tuæ gloriæ, Reipubl. commodo merituros feciſti. Tuum verò Exercitum, illum in extremis jam propè agentem, nec niſi de gloriosâ jam morte cogitantem liberaſti ex illis obſidii teterrimi anguſtiis, dicam veriùs, ex ipſiſſimis Orci liminibus. Rediiſti Tu & ſalvus ipſe, & ſalvum ex ſummo diſcrimine duplicem Reipubl. exercitum ducens. Rediiſti tum, cum vix adhuc hoſtem Tibi conſpectum cæteri crediderant. Rediiſti amabilem Pacis olivam ferens, cum arma adhuc pararet timeretq; univerſum Regnum. Anteiiſti Tu civium Tuorum ſpes: non voti eos tantùm ſui, ſed in vobis propè ipſis timiditatis

volen-

volentes damnaſti. Perſenſêre illi comitem Tibi ire DEUM, & per Te facere, quę credere nemo audeat, niſi cum facta ſunt; imò quę &, poſtquam facta ſint, fidem, quia ſupergrediuntur, tarde inveniant. Pace hâc factâ, ſecuritas porrò ejus Tibi curæ fuit. Negotium Tibi cum gente eſſe noveras, quam vix ullus adeò fidus aſtringere poſſit nodus, quin eum apparens aliqua utilitas ſine negotio diſſolvat. Sed dabas inprimis operam, ne illa ruptum aliquà, aut diffluens Pacis fœdus ulli alii, quàm ſibi poſſet imputare. Ac Scytha equidem aliò ſpes ſuas mittens, aut mittere ſaltem viſus, intra metas fœderis ſe utcunq; aliquandiu continuit. Sed plebs ubiq; nimia, & nec ſervitutem, nec libertatem modicam ferre gnara, ſumptam cum armis nuper geſtis ferociam, majora, quàm aſſecuta eſſet, appetendo

tendo, brevi poſt iterùm exſeruit. Præcipuè ductor zaporoviani exercitûs, fortunâ ſuâ corruptus, potentię, quam Te & Republ. conſentiente habebat, nova & aliunde, quàm â Te & Republ., quærebat munimenta. Literas ad externos misſitabat non honoras Regio nomini, & conſpirationum adverſum Rempubl. ſeminibus gravidas. Legatos mittebat recipiebatq; tanquam ſui arbitrii eſſet: infeſtos Regno Principes muneribus honorabat, amicos bello aggrediebatur; nobiles viciniores bonis ſuis, quosdam & vitâ exuebat. Eò deniq; perfidiæ prolapſus eſt, ut non Regni tantum hujus, ſed & fidei Chriſtianæ proditor, Turcę ſubditus eſſe quęreret, ne eſſet Polonis. Quin horum ipſorum liberrima capita Ottomannicę libidini flagitium hominis occultis promisſis addicebat; non ſe ſcilicet tantùm, ſed Domi-

nos ſuos Tyranni illius facere ſervos machinans. Tu, Rex Sereniſſime, monitis, Tu promiſſis prius quàm armis in ordinem redigere hominem laboraſti: Sed & monitis locum, & promiſſis fidem negavit. Nempe ſui non malus judex, atrociora eſſe, quę ſtrueret, facinora exiſtimabat, quàm ut Te ſibi propitium ſpondere poſſet. Et diffidenti adeò, ac ſuſpicace ſuperboq; metu aliena auxilia circumſpicienti, non amplius Tu fidere, non amplius firmandę potentiæ facultatem potuiſti dare. Deſtinaſti ad illum primarios aliquot Reipubl. viros, qui quid animi haberet, explorarent, qui pacis ſufflamina, belli materiem reciderent. Sed ſimul exercitum collegiſti, tanto majus pondus additurus negotiationi, obtuſæ alioquin, & irritę futurę, niſi gladii mucronem ſimul oſtentaret. Sed quicquid ageret

Respubl.

Reſpubl., hominem illum non movit, aut ſi verba extunderet mitia & obſequium præferentia, tamen aliò is per occulta & magis fida rapiebatur. Omnia indicia eò conſentiebant, hyeme, quâ hæc agebantur, conſtrictum iſtum Angvem minus ſibilare. Vbi vernus rediiſſet tepor, prompturum aculeos & venena. Quare ipſo adverſus perduellem favente cœlo utendum putaſti: & tum iſtos Terræ filios oppugnare ſtatuiſti, cum terrâ ſuâ, frigoribus ſcilicet rigente, uti non poſſent. Sed nec ipſe illicò tantum conducere exercitum quiviſti, quantum ad rem tantam arbitrabare neceſſarium. Itaq; ordinariam & finibus ſcilicet protegendis deſtinatam Reip. præmiſiſti manum, quę occuparet hoſtem, dum Tu cum cætero exercitu, quem numeroſum parabas, advolares. Neq; defuit illa partibus ſuis, ali-

cubi corporum ſuorum objectu rebelles catervas ſtrenuè remorata. Poſtremò etiam, cum parùm abeſſet, ne â prȩvalidâ multitudine circumventa, â ſpe auxilii ſecluderetur, aut iniquam belli aleam cogeretur experiri, non ignobili & plurimis hoſtium ſubinde funeſto retroceſſu ad Te contendit, â Te ſuo Capite mox refocillata, ſed & Tuis viribus non contemnendum addens momentum. Perduellis interim Ruſſiam univerſam, claſſicis paſſim ſonantibus, ad arma conciverat. Nec domeſtico ſatis adhuc robori fidens, Turcarum inſuper ac Tartarorum Dominos vocabat in auxilium. Ac uterq; equidem rebellibus Coſacis, quam Tibi rebelles oppugnanti maluit favere. Ille tamen ferè adhuc intra promiſſa tantùm ſtetit; hic prȩdarum dulcedine denuò illectus miſit ingentem contra Te

manum,

manum, majoremq; paulò post ipse adduxit. Et ita idem, qui ante, ducentorum triginta plus minus millium exercitus Tibi se objecit. Ingens profectò vis, nec numero tantùm, sed illo dudum jam cognito pedestris Cosacorum roboris cum Scythici equitatûs celeritate coälitu formidanda. Te tamen illa minimè terruit: qui prius jam non minorem istorum numerum minore longè exercitu repulisse Te memineras. Ibas in hostem summâ Tui, vel potiùs ducentis Te Dei fiduciâ. Sed & ille, antequam vires junxisset, cunctantior, simulac junxerat, prætumidus, ac suo sibi robore placens, incredibili ardore & quasi torrentis instar in Te ferebatur. Deprehendere imparatum, & multitudine suâ imparem circumgredi speraverat. Sed in paratum ac opinione suâ validiorem incidit. Eâdemq;

 porrò

porrò alacritate ſe quæſitum â Te comperit, quâ Te quæſiverat. Quam verò vellet nunquam Te vel quæſitum â ſe vel repertum! Suo enim malo quæſivit, ſuo maximo malo repperit. Provocavit in fatum ſuum virtutem Polonam. Effudit impetus ſed quaſi in rupem, quę fluctus reverberat & rejectos rumpit. Impegit aculeum Tuis, ſed ut malè fixum amitteret. Tu quippe, magne Bellator, ita ſemper inſtructam exercitûs Tui velut machinam ducebas, ut laceſſi ſine laceſſentium exitio non poſſet. Longè ante prælium prælio ſtabas paratus. Ipſe ſubinde circumiens ordinabas aciem, ut regere â Te ordinatam expeditiùs poſſes. Ipſe locum militi aſſignabas, ut tanto firmiore is veſtigio teneret ſtationem, quàm Regia manus oſtendiſſet. Sed nec uno impetu vel die rem confici fatum voluit.

Non

Non ſuſtinuit tantorum exercituum cervices unius prælii quaſi ictui committere. Diſpeſcere potius aliquot dierum intervallis victorias Tuas voluit, ut longiùs ſpectarentur, & ut vinci ſe hoſtis, vincere ſe Tui ſentirent. Datum iis, qui infelicius pugnaſſent, ſpatium eſt, remittendi ſe in gradum, ut tanto glorioſiùs repoſiti profligarentur. Dignum deniq; viſum eſt ultimum certamen, cui pluribus aliis præluderetur. Sæpe caſu victus putatur, qui ſubitò vincitur. Hîc multos per gradus & per varia prætentamenta, operoſo deniq; apparatu deſcenſum eſt ad prælium, in quo Poloniæ, & propè dicam, Chriſtianitatis fata vertebantur. Ipſo etiam prælii initio, illici aliquo ſucceſſu hoſtem voluit fortuna, quò is longiùs progreſſus longiùs poſtea recederet; & fatigari Tuos permiſit, ne parvo nimis victoria

ria conſtaret. Fatigati iſti, ſed cum hoſtis damno; fatigati, ſed ut aliis in auxilium ſubvenientibus tanto majore mox impetu coorti repellerent inſtantem, ne vincere ſe putaret, qui primam Tuorum vim ſuſtinuiſſet. Juxta verò frons aciei Tuæ machinis ſuis continuò in hoſtem detonuit. Fulminaſti in Titanas iſtos Iuppiter iratus, & ita fulminaſti, ut ſolitudo fieret, quà fulmina Tua iviſſent. Sed adverſum Te quoq; vomebat ignes Typhæus; & non procul â Te decidêre pilę, quas capiti Tuo deſtinaverat. At nempè melior Dei cura ita direxit tela, ut ante pedes Tuos ruerent, velut intentati Tibi ſceleris audaciam confeſſa. Et Tu, Cæleſtium tutelâ fretus, adſpexiſti cadentia immotus, nec dignum putaſti periculum, cui ad latum unguem cederes. Contra verò tam improbum ho-

ſtis

ſtis auſum ulti ſunt egregiè Tui. Pariter in ſummum adverſę aciei ductorem ſignis aliquibus cognitum collineata eſt una machinarum Tuarum, & ita Regulum illum attonuit, ut & faciem ſtringeret ignis, & animum quaſi fulgurîtum in pedes adigeret. Poſt hunc ſanè ictum nihil jam ampliùs cunctandum ſibi duxit, quin in fugam ſe effunderet; ne vitam porrò in caſum daret, poſtquam adeò gravi craſsâq; admonitione vulſa ipſi eſſet auris. Nec mora. Proripuit ſe ille, quàm potuit celerrimè, cæteriſq; exemplo ſuo ſignum dedit fugiendi. Pauci reſtitêre, nec niſi juſsi â Regulo, quò ipſe tanto diutiùs à perſequentium gladio tutus foret. Fugêre tandem omnes, impedimenta, & quicquid morari poſſe videbatur, projicientes. Rarum ſpectaculum, cum inſignis ille terrarum prędator pręda



fuit

fuit Tuìs, cum reculas, quas gens levis & egena paucissimas habet, & pertinaciter tueri solet, passim legerent Poloni: cum inter alia, tentorio, vexillo, carpento deniq; Reguli ipsius potirentur; cum & Tartarorum eos, qui lentius irent, cæderent caperentve. Nam reliquos celeritas, quâ gens illa alias omnes anteit, & suborte noctis tenebre eripuêre. Dispulsa Equestris Tartarorum acies traxit mox simul alteram Cosacorum, tam exemplo sociorum fugientium, quàm vi Tuorum territam impulsamq;. Sed fortune sue quasi ægrè cedentes; & ceu iterum pugnaturi, recepêre se in castra sua: Te ipso cedentibus atq; intra castra jam clausis adeò constanter insistente, ut totam noctem, in equo, sub cœlo pluviis intempesto, juxta cum milite excubares, ne quà securitas Tuorum dolo hostium fieret

oppo-

opportuna. Hi verò, eâdem illâ nocte, castra sua ita permuniêre, ut obsidendi deinde fuerint Tibi. Obsessi sunt partim ab exercitu Tuo, partim â paludibus, quę magnam castrorum partem circumstagnabant. Diu arctati oppugnatiq; omni vi, cum exercitum obsessorem perrumpere non possent, nec sufficiente submissione clementię Tuę litarent, tandem, orto inter ipsos Panico terrore, paludes suas pervias sibi facere conati sunt. Et fecerunt multi, terrore ipso miras artes perdocente obsessos, quibus illud ad gradum instabile solum perluctarentur. Sed magna quoq; pars Uligine hausta est: Et plurimi scilicet, cùm ipsi suâ se festinatione implicarent, metu mortis mortem in illis voraginibus incurrêre. Plurimos etiam persequentium absumpsit ferrum. Alios, qui evaserant, in aviis sylvarum fames ene-

 cuit,

cuit. Qui expeditissimi omnium erant, celeri fugâ, quàm possent longissimè, subduxêre vitam. Quorum vestigia legere jussus exercitus passim adhuc reliquias profligat. Et horum impeditiorem fortunam reddidêre Lithvanicæ copię, quę pariter, auspiciis Tuis, quicquid in illum Ducatum hostilium copiarum se infuderat, Radzivillii Principis, Campiductoris istic Tui, ductu, compescuêre: & jam Kioviam, antiquum Russiæ, nunc Græci istic Ritûs præcipuum caput & magnum rebellium receptum tenent. Jam de Scytharum Regulo ê finibus Regni, Victoriâ Tuâ, suâq; trepidatione ejecto, de capto ab ipsis Scythis, & vix multo ære in libertatem reddito rebellium Ductore, de ipsis deniq; rebellibus hîc illîc dispersis, interceptis, cæsis subinde nuncios accipis; & nempè quotidie legis fructus

ctus victoriç Tuç. Quâ cum latè omnia Tibi infesta perculeris, non cessas etiam clementiâ uti in victos, obsequii jugum resumentes. Non est Tibi volupe sævire in subditos Tuos; in plebem ab armis ad vomeres, & ad colendam, quam devastavit, Matrem terram, metu gladii Tui, & malorum suorum tædio redituram. Mavis rebelles ad officium redactos imperium herile, quàm ferrum subire. Obstinatos pœnâ persequeris, in cæteris pœnitentiâ contentus. Sed quid ago, Rex Serenissime, qui Majestatis Tuç decora in has angustias compingo? Injurius in Te, cujus laudes, Apelleâ manu, in Illustri tabulâ, depingi dignas, impare penicillo attrecto, & intra nimiùm breves lineas strangulo. Equidem vix umbram Tui hîc dedi, nec totius quidem Tui Umbram.

 bram.

bram. Non enim nisi Martii fulgoris Tui, nec nisi tenues ludunt hîc strictu-rę. Nonnisi illa merita, & leviter, attigi, quibus Rempublicam, Candidatus, & mox Rector illius, devinxisti. Ea verò omnia, alio filo contexta, brevi spectanda subjicere Tibi & porrò Orbi paramus. Admiraturo haud dubiè tum ancipites, quibus Respublica conflictata est, morborum paroxysmos, tum felicissimam Virtutis Tuę medicinam, quâ ægrę illi & in eadem mala toties, magno periculo, relabenti, non salutem modo, sed & securitatem salutis, & robur, & antiquę deniq; gloriæ colorem reddidisti. Vnum superest, ut Te tanto liberatore Respubl., Tu Republicâ liberatâ diu sospes uti fruiq; possis. Addat ô benignum Numen bonis suis perennitatem, & Tibi Tanto Organo suo ævum vel de nostris augeat annis.

N.

Nec permittat hunc pulcherrimum rerum Tuarum curſum ullo ſiniſtro eventu infuſcari. Sufficiat morti nuperum feciſſe ictum, quo velut ad placandam fortunę invidiam, dulcem & deſiderabilem Auguſtæ Arboris Tuę ramulum abripuit. Sarciat hoc damnum cœli favor, datâ brevi ex SERENISS: REGINA CONIUGE, aliâ Propagine, quę Avitos Tuosq; vultus & animos referat, & ſub felicitatis Paternę ſidere nata, inde ſimilia fatorum ſtamina ducat. Creſcat ita, O AUGUSTE, in orbe Chriſtiano Veneratio Tui, in non-Chriſtiano metus, Amor apud Tuos, apud omnes Admiratio. Excipiat Te Felicitas, aut intret Tecum, quàcunq; ingrederis. Subeat vireſcatq; per Te ſine vitiis ſuis Pacis felicitas, & in pace etiam maneat virtutum certamen. Bello ne audeat Te quisquam laceſſere, aut doleat de-

niq;

niq; lacessivisse. Sentiant Victorem gladium Tuum obstinati hostes, tremant ad genua Tua, qui veniam merentur. Postremò Domûs Tuæ Regiæ, & juxta Regni prosperitas ita paribus incrementis provehatur, ut & habeas Tu, cui maxime velis, & possis, qualem velis, filio scilicet Te digno, Rempublicam se dignam, felix olim senex, & certò cœlitum numerum aucturus, spe non dubiâ, tradere.